

05

A

741



DELETIONEM
PECCATORUM

Ex Psam. LI. v. 1.

Sub PRÆSIDIO

*Viri Magnifici, summe Reverendi, Am-
plissimi atque Excellentissimi,*

DOMINI

CASPARIS LOESCHERI,

Sacro sanctæ Theologiæ Doctoris & Profess. P.

Consist. Elect. Eccles. Assessoris ad D. Mariæ Pastoris,

& totius Circuli Electoralis Superintendententis Generalis,

ut & Fac. Theol. h. t. Decani,

*Patroni, atque Promotoris studio-
rum devenerandi,*

publice exponet

Ad diem XXVII. Octobr. Anno M DC XCVI.

M. JOH. FRIDERICUS BÜTTNERUS,

Gera-Variscus.

WITTEBERGÆ,

PRELO CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYP.

RECOGNITION
RECOGNITION

Ed. P. (1811) M. 2.1.

Sub. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Handwritten notes and signatures, including the name 'Johann...' and 'Prof. Dr. ...'

DOMINI

CASPARIS LOESSCHER

Prof. Dr. ... Theologie ...

Prof. Dr. ...

Prof. Dr. ...



Prof. Dr. ...

177 A 50

M. JOH. ERHARDT ...

Prof. Dr. ...

Prof. Dr. ...





Dispicienti mihi de materia, quam in publica disputatione ventilarem, suspirium illud Davidis incidit, quod, cum ab eo vel montes doctrinarum pendere persuasissimum haberem, suasu Magn. Dni. Præsidis aggressus in me suscepi, & pro virium tenuitate operam impendendam ratus, eo modo ordineque proposui, ut prius sensum indagare conarer, vocabula evolvens eorumque varias significationes in Scripturis occurrentes, itaque agerem, ut tractatio de variis delendi peccati rationibus & modis statim sequeretur, lucem ex evolutione vocabulorum accipiens, quo his præsuppositis innixus quasdam Conclusiones in Controversiam vecatas eruerem, locum ipsis ultimum attribuens. Unde in tres partes dispescendam esse, Exegeticam, Didacticam & Erotematicam arbitratus sum. De Exegetica primum sollicitus sacrasque Scripturæ paginas, ex iisque Psalmum 51. pensitatione æstimans, ab ea auspicabor.

Sectio Exegetica.

Scopus Davidis est petere abolitionem peccati gravissimi, 1
quod commiserat, pœnarumque earum, quæ justo DEI judicio
comites peccati ipsum premebant, variisque angustiis cumula-
bant. Ista vero quoniam & personam ipsius respiciebant & 2
populum, cum quo ita conjunctus erat, ut nexu indivulso mala
cum ipsis habuerit communia, idcirco, primo pro se ipso, postea &
populo preces fundit. Duo præcipue mala sentiebat, quæ ipsi mo- 3
lestissima animum turbabant, mentemque tristitia plenam redde-
bant, reatum scil. & desertionem Spiritus S. Primo loco petit
amotionem reatus. Dele. מחה est tollere aliquam defor-
mitatem, cujus vocabuli sensum & vim feliciter penetrare nos
non posse existimamus, quam si omnes usurpandi modos ex

DE DELETIONE PECCATORUM,

codice biblico annotemus, eosque omnes quantum fieri potest, huic negotio applicemus. Usurpatur de purgatione ollæ aut patinæ, 2.Reg.21.v.13. quod ipsum ad excidium ferale & everfionem totius Hierosolymæ adducitur. De Deletionem ex libro vitæ, quam Moses à Deo contendebat, nisi populo suo delicta vellet condonare ipsosque absolvere Ex.32.v.2.33. De deletionem nominis sub cælo, qua Deus eos, qui nutui ipsius refragantur legesque divinas transgrediuntur, è medio tollit, nomenque illorum extirpat, ad vindictam sui procedens, suppliciique gravitate tarditatem compensans, Ps.XI.v.6.Exod.XVII.v.14. De lacrymarum absterfione Es.25.8. De absorptione nubis per solis æstum El.44.22. vel quomodo solent literæ è tabula elui Num. 5.23. Omnia hæc ad præsentem statum accomodari possunt. Fundebat preces ut peccata instar sordium delerentur, & ut ea vi sanguinis JESU CHRISTI, quem profunderet Salvator humana indutus carne, ab omni peccatorum turpitudine, qua pollutus aspectum ipsius defugeret, angelorumque tale dedecus averfantium consortio excluderetur, emundaret. Oratione summum defatigabat Numen, ut deleret peccata, uti is è libro deleretur, qui æs alienum reddidisset, & omnia solvisset, quæ ipsi solvenda fuissent. Deleret nomina sua, quibus Deum ad iram provocasset, ipsiusque Majestatem sanctissimam offendisset, ejusque mandata pedibus quasi conculcasset, cum Sospitator humani generis omnia obedientia sua tum activa tum passiva præstitisset, & ipsius vices sustinuisset, unoque & brevi temporis spacio exhibuisset, quæ ne quidem in omni tempore interminabili redderet. Nunquam sibi ista in memoriã revocaret, ne ira irritatus pœnas lueret meritas, æternumque exitium improbis paratum aliquando reportaret. Abstergeret ab ipso omnem maculam in ipsius oculos incurrentem, quæ deformem redderet, omnemque amicitiam finiret. Deleret uti nubes coram facie, ne ante oculos ipsius semper obversentur, ita ut de illis & de illorum punitione cogitet, sed memoriã eorum deponat. Deleret è tabula cordis, cui inscripta stylo ferreo Jer. 16. 1. è tabula, ubi peccata instar grandium nominum, quibus ipsi luendum esset in perpetuum, inscripta, Col.2. Sangvis

nis Christi minio oblitterata, logistica deletionem, ne vindices ipsius
oculi practica judiciali & nemetica visione videre queant. Et. II
illum posteriorem delendi modum Prophetam respexisse asse-
rere non dubitamus. Metaphora enim est in hac voce, quando
de remissione Peccatorum usurpatur, qua alluditur ad tabulas
rationum, in quibus annotantur debita, & talem deletionem si-
gnificat, cum characteres debito persoluto lineola perstringuntur.
Quod ad peccatum applicari potest. Sicuti enim debiti persoluti 12
quamvis lineola deleatur, signatura tamen & pictura literarum
manet; ita quoque peccata nostra libro Dei expunguntur, cum
Christi sanguine sint deleta. Vid. Glassius in disp. de explica-
tione dicti Prophetici Esa. 45. d. 42. Quomodo alias usurpetur de 13
fluminibus, quæ plaudunt vola Pf. 98. 8. De deletionem per aquas
amaras Num. V. 23. De adultera, quæ comedit & terfit os suum
Prov. 30. 30. De operum deletionem Ezech. 6. 8. De plausu manuum
Ez. 25. v. 6. De ictu catapultæ muros destruentis, Ez. 26. 9. vid. T. II.
Concordantiarum Marii de Calasii Romæ edit. 1621. p. 1073.
וישד flagitia mea à singulari ושב, quod significat defectio- 14
nem, rebellionem, transgressionem, summum inobedientia &
prævaricationis gradum, cum homo verbum Dei malitiose ne-
gligit. A Davide tria cumulantur peccati nomina, non tan- 15
tum ut suorum Peccatorum multitudo indicetur, sed ut etiam
omnibus monstret corruptissimum hominum statum post la-
psum Adami. Multa enim n. p. Hebræos, Græcos, Latinos & Ger-
manos Peccati nomina occurrunt, ut vel ipsa appellationum fre-
quentia naturam nostram de extrema corruptione & deprava-
tione accusent. Menzerus in Exegesi Augustanæ Conf. Art. II. p. 57.
Radix est ושב transgressus est voluntario, omni ex superbia 16
rebellis, seditiosus fuit, defecit. Vid. Glassius l. c. §. 43. Geierus
in h. l. & Höpffnerus in prælectionibus super Ps. 32. In Versione 17
est Prævaricatio. Quæ vox tum in foro Romano, tum in milita-
ri disciplina versatur. In foro Teste Plinio est malitiosa causæ in se
susceptæ neglectio, ubi quis officium agendi, circa causam ex fide
receptam non implet, sed perfunctorie, adhibita fraude, dolisque
variis titubat. Unde Ulpianus ff. de Prævaricatoribus: Prævari-

18 cator quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita cau-
 sa sua. In Castrensi disciplina prævaricari dicuntur, qui bellum
 19 cauponati, corruptique ab hostibus, varie se gerunt in conflictu,
 quos alias Proditores & transfugas appellamus. Atque ab hoc
 castrensi vocis usu Prævaricator legis in sacro codice appella-
 tur, qui legem, ad quam servandam S.S. baptismatis lavacri sa-
 cramento obligatus, contemnit, proditoque summæ militiæ du-
 ce, Proditisque primæ militiæ insignibus, nomine, cruce, reli-
 quo Christianæ dignitatis decore, ad castra crudelissimi & sce-
 leratissimi hostis transit, quo cum bellum perpetuum & nullo
 20 tempore finiendum Christo duci intercedit. Ita propria peccata
 commissa accusabat, ita in tanto animi mœrore nihil tam exitia-
 le peccato putabat, quam peccati accusationem condemnatio-
 nemque, cum pœnitentia lacrymisque conjunctam. Quanto e-
 nim in mœrore constitutus fuerit, verbi dici non potest. Verba
 quidem ipsius possumus proferre, ingentem vero animi æstum,
 21 exprimere non licet. Vid. Musculus in Comment. in h.l. Unde
 angores illos non verbis meis, sed alienis ex Homiliis Patrum de-
 sumptis, efferendos existimo. Pater ubi semel iterum ac tertio
 deciesque filium increpaverit, si viderit incorrigibilem manere,
 desperans abdicat & expellit è familia vel cognatione sua. Ad
 non eodem modo conscientia, sed licet millies admonuerit,
 tuque non obtemperes, monebit iterum, nec desistet usque ad
 supremum halitum, seu domo, seu in biviviis, seu in mensa, seu
 in foro, seu in itinere, frequenter & in vigiliis, & in somniis
 peccatorum simulacra spectraque repræsentat. Solet magnitu-
 do doloris hominem à naturalibus excutiens sensibus animum
 demergere, & ad honesta omnia inutilem reddere, admodum
 severe & quovis stimulo acrius pungere consuevit peccato-
 rem. Non enim hinc solum cum ipsi peccamus, verum etiam
 cum alii committunt eadem, vehementer insurgit, magna que
 contentione nobis acclamat. Nam scortator, adulter, fur aut
 homicida non modo cum accusatur ipse, verum & cum audit a-
 lios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi, dum in-
 crepantur alii, suorum admissorum reminiscens, & alius quidem
 voca-

*Chrysofomo
 attribuun-
 tur T. 2. p.
 384. Lugd.
 impr. n. 588.*

vocatur in jus, hic vero flagellatur, cui nullum crimen intenditur, si fuerit eadem ausus. Qui igitur esse potest homine peccatore miserius, qui quoties accusantur alii, ipse exanimatur? Colligemus hinc dolores Davidis. Colligemus, quid sit manus Dei succum exhauriens Psal. 32. Ita iudicium absque redargutionibus peragebatur, & excusatio sine accusatione, probatio sine testibus, dum ipse, qui facinus peregit, se ipsum redarguit, quodque clam factum fuerat, effert. Quis cedo quis attingit in publicum efferre? Annon iudex in corde, cui verba dare non potes? Nonne assidue concutiebat mentem, animumque conturbabat, cumque nulla sententia in Te esset pronuntiata, ipse condemnationis calculum adversus Te tulisti? Ita conscientia insurrexit momorditque animum efficiens, ut nemine compellente, tua confitereris facinora, poenamque ob oculos versari arbitrareris.

Sectio Didactica.

§. I.

Cura verborum seposita ad rem ipsam progredimur, universam de deletionem peccatorum doctrinam exponentes, quod quidem eo planius absolvemus, dicentes: fieri deletionem vel meritorie, vel applicatorie, ad quas delendi rationes omnes alia nullo prope negotio referri possunt. Fit vero deletio Peccatorum I. Meritorie propter acquisitionem, quando peccatorum nobis remissio acquisita & promerita fuit. Fundatur hæc assertio sequentibus Scripturæ locis Esa. 53. 4. 5. 6. 11. Zach. 11. 11. Joh. 1. 29. c. III. 14. 15. 16. c. 7. v. 15. 2. Cor. 5. 21. 1. v. 7. c. 2. v. 2. Atq; ita Christus *satisfecit* pro peccatis.

Meritorie.

23

Etsi vero vocabulum Satisfactionis in Scriptura S. nullibi legamus, quod vehementer hostes satisfactionis Christi veritati opponunt, tamen illud doctrinæ nostræ nihil derogare potest, cum singulæ loquendi formulæ, quibus fidei articuli in Ecclesia propter faciliorem cognitionem in gratiam rudiorum declarantur, in verbo Dei ad literam scriptæ non inveniuntur. Nolumus jam objicere peccatum originis, qui terminus *ῥητῶς* in Scripturis non extat, iis qui peccatum originale ceu figmentum quoddam pu-

Probatio.

24

pu-



putidum, & inane, suaviaque somniantium deliria, repudiant. Nec urgere libet phrasin ecclesiarum nostrarum: Deus est unus
 26 in essentia & Trinus in personis contra illos, qui doctrinam hanc
 tanquam horrendum & blasphemum dogma, ex imo orco per fili-
 um perditionis virtute Satanæ Ecclesiis putant obtrusum, ut
 Deus se vindicaret omnibus iis, qui veritatem non habuerunt.
 Ebr. IX. 3. Multo minus Articulum de creatione mundi ex nihilo proferemus
 27 in medium, de quo orthodoxa Ecclesia credit, Deum cœlum & ter-
 ram, quæque ipsorum ambitu continentur ex nihilo condidisse,
 quod & in nullo Scr. S. lib. Canon. quidem ad literam scriptum re-
 28 periri multi affirmant. Sufficit enim rem ipsam clare phrasibus de-
 scribi, quod Christus pro nobis solverit divinamque legem imple-
 verit, Rom. VIII, 10. quod pro nobis & nostris peccatis passus &
 mortuus fuerit, I. Petr. III. 18. quod animam suam dederit *λύτρω*
 pro multis, Matth. XX. 28. quod Christus peccata nostra portarit,
 Joh. I. 29. quod pro nobis factus maledictio nos à legis maledictione
 redemerit, Galat. III. 13. quod non corruptibilibus auro & argento,
 sed pretioso suo sanguine nos redemerit, I. Petr. I. 18. & alia, de
 quibus videatur Feuerbornius Synt. I. P. III. p. 1373. Nunquam
 29 enim demonstrabunt contrariæ sententiæ addicti, Phrases æqui-
 pollentes de hoc non reperiri in Canone bibliorum, quod si
 probare possent, causam certe obtinuissent. Verum omnes &
 singulæ satis testantur contrarium, si illud prolixè demonstra-
 re vellemus. Sed compendio ut includam, omnia unico Jo-
 han. dicto proponere animo sedet, quo dicitur Christus esse
 30 propitiatio pro peccatis nostris, I. Joh. II. 12. Quæ & alia phra-
 ses adeo sunt luculentæ & perspicuæ, ut exceptionem solidam
 quidem & ponderosam invenire nequeant, quam nostræ sen-
 tentiæ objiciant. Inquit quidem Catechismus Racoviensis
 c. 8. p. 242. hinc quod Dominus JESUS vocatur Propitiatio,
 non extrui necessario satisfactionem, vel id argumento esse,
 quod scriptura tradat ipsum Deum proposuisse propitiatio-
 nem Christum, ut Apostolus loquitur Rom. III. 25. Deinde
 ex eo, quod & illud operculum arca Dei propitiatio seu Pro-
 pitatorium sit vocatum. Exod. XXV. v. 22, Hebr. IX, v. 5, Cum ni-
 mis

Vindicatio.

mis apertum sit, ipsum Deo nequaquam satisfacisse. Denique
 aliud esse satisfacere alicui, aliud eum reddere propitium, cum
 is, qui propitius redditur seu placatur, possit multum de jure suo
 remittere. Verum rationes nequicquam contra justam interpre-
 tationem allegantur, & nostram sententiam non evertunt. Non 31
 prima, quia utrumque Scriptura asserit, & Deum ipsum Chri-
 stum proposuisse *ἱλασθῆναι* per fidem in ipsius sanguine in osten-
 sionem suæ justitiæ, & Christum adeo ita propositum & consti-
 tutum propitiatorium sua obedientia, tum activa, tum passiva,
 pro nobis debita nostra solvisse, & justitiæ divinæ, loco nostri, sa-
 tisfecisse. Quoniam enim divina veritas & justitia non erat vio-
 landa, Deus non extra & citra Christum mundi Salvatorem con-
 stitutum, Patribus promissum, & temporibus Novi fœderis in car-
 nem venturum, sed tantum in eo & propter ejus satisfactionem,
 omnibus numeris absolutam, vice nostri præstandam, gratiam su-
 am ac favorem generi humano exhibuit incredibilem ac plane
 singularem, faucibusque inferni ereptum, æterna libertate do-
 navit. Misericordia vero, qua erga homines commotus, ineffa-
 bilis, satis cognoscitur ex eo, quod hominum misertus, ipsos, cum
 potuisset, non æterno supplicio victos & captivos tradiderit, ty-
 rannidique Diaboli subjugarit. Nec secunda ratio obstat. Ma- 32
 gna enim hic est disparitas. Arcæ operculum dicitur propitiato-
 rium, quia in victimis illis in diebus veteris fœderis consuetis ex
 populo Judæorum CHRISTUM venturum, verum illud Propi-
 tiatorium, demonstrabatur. Qua igitur ratione nos constrin- 33
 gere volunt, eam nos invertentes dicimus, quod operculum ar-
 cæ non Deum nobis facilem reddidit satisfactorie, sed ipse Chri-
 stus DEUS & homo, de quo Scriptura luce meridiana clarius
 testatur. Quid? quod sacrificia veteris Testamenti pro pec- 34
 catis populi Judaici oblata peccata ipsorum expiaverint, non qui-
 dem ex se & propria virtute; Nam lex umbram obtinens fu-
 turorum bonorum, non ipsam imaginem rerum his hostiis,
 quas singulis annis easdem continenter offerunt, nunquam
 potest accedentes perfectos reddere, alioquin debuissent offer-
 ri propterea, quod nullam jam habuissent conscientiam peccato-
 rum

B

rum

- 35 rum qui sacrificassent, ac semel purgati essent, Hebr. X. v. 1. 2. Nec
 ex absoluta quadam constitutione divina benigna, & benevola.
 36 Nam Pascha nostrum pro nobis est immolatus Christus, I. Cor. V.
 v. 7. sed respectu Christi agni Dei, qui tolleret peccata mundi, si-
 quidem quod Pontificii multoties fecerunt, id semel ab ipso fa-
 ctum cum semetipsum offerret pro peccatis hominum. Hebr.
 37 VII. 27. Nec tertia est tanti ponderis, ut doctrinam nostram de-
 struere queat. Nam etsi à nobis non possit negari, aliquam esse
 non nunquam inter satisfactionem & propitiationem differen-
 tiam, Christi tamen propitiatio pro delictis est vere & proprie
 satisfactoria, quod loca illa à nobis adducta evidenter animo sub-
 jiciunt. Vid. Feuerb. in operibus p. 1373.

§. 3.

- Falsa hypo-
thesis.*
- Quod si itaque hoc est, uti ex argumento nostro & vindica-
 tione ipsius patet, graviter hallucinari necesse est eos, qui satisfa-
 ctionem istam sibi persuadere non possunt. Cujus erroris falsa
 hypothesis, quæ jam dudum invaluit, quamque animis evellere
 nolunt, quamdiu in ipsis hæret, non potest non causa esse ut
 nunquam sibi eam in animum inducant, illamque præjudicatæ
 opinionis vi, & fabulosam & stultam pronuncient, quæ in divi-
 nis literis revelata invenitur. Unde rem totam penitus in-
 spiciamus, & tum hypothesein, tum argumenta exponemus. Hy-
 38 pothesis ipsorum est alius repetenda, quo deinceps fundamen-
 tum hoc non turris Babylonicæ à Pontificiis exstructæ, sed tur-
 39 ris Sionis & Christianæ religionis firmiter constat. Vivo Luthe-
 ro 1532. Michael Servetus, Hispanus, in Numidia Scholis Maho-
 meticis imbutus, errorem Samosatani & Photini de Deitate
 40 Christi iterum in lucem protraxit. Vestigiis ipsius institerunt Va-
 lentinus Gentilis, Campanus, Matthæus Gribaldus, Georgius
 Complacius, Georgius Blandrata, Alciatus, Franciscus Davidis,
 Bernhardus Ochinus. Qui omnes omnino adhibuerunt ope-
 ram, ut Deitatem Christi labefactarent, argumentaque pro ip-
 sa adstruenda invicta à Theologis allata eluderent & confuta-
 41 scriptis nondum oppugnantes. Annis sequentibus Lælius So-
 cinus

cinus est secutus, qui errorem hunc disseminavit & introduxit, cum Calvino literis ad eum exaratis de controversia hac disputans, uti refert Faustus Socinus in Disp. de Jesu Christo Salvatore. Calvinus nomen Lælii Socini silentio involvens huic 42 errori multa Scripturæ S. dicta undique conquisita, maxime tamen stringentia, opposuit in Institutionibus Lib. II. cap. 17. Tandem Faustus Socinus Senensis errorem hunc in disp. qua- 43 dam privata 1577. Basileæ cum Jac. Coveto homine gallo habita, recoquens non tantum pro eo tanquam pro aris & focis militavit, sed etiam eum in scriptis pluribus emissis spargere perrexit, in quibus Jacobum Covetum præcipue impugnavit. Postea Doctoris sui vestigia premens Christophorus Ostorodus successit, qui in disp. Georgio Tradelio opposita, blasphemam hanc sententiam, 44 causæ auctoritatem conciliari studens, verbis speciosissimis, & papavere veluti ac sesamo conspersis defendere non erubuit. V. Graueri disp. Theol. & Schol. circa doctrinam de satisfact. Christi. Christoph. Ostorodo & Fausto Socino oppositæ p. 6. sq. Nec ab eodem errore absolvi possunt Petrus Abailardus, itemque Pelagius, ejus juxta Johannem Drietonem præcursor, item Anabaptistæ Weigeliani, Schwenckfeldiani, Calviniani & Pontificii, qui itidem dominicam satisfactionem enervant. Vid. Dorschei Pentad. disp. VII. §. 18. 19. 20.

§. 4.

Hypoth. evoluta, videamus, quomodo nostram assertionem de- *Argumenta* struere velint. Dicunt gratis nobis remitti peccata, Rom. III. 24. Per misericordiam salvos nos Deum facere Tit. 3. 5. Satisfactionem autem pugnare cum misericordia Dei. Deum sic remittere pecca- 46 ta, prout nos illa remittere jubemur, Matth. 18. 23. adeoq; Deum propriæ doctrinæ adversari. Præcipere nobis, ut nostris inimicis condonemus, & ipsum nolle. Idem quod innocens pro nocentibus non debeat puniri, quod anima, quæ peccaverit, morietur: nec quisquam alterius peccata portabit, Ez. 18. 20. Sed gratis nobis remittuntur peccata non resp. Christi, sed resp. no- 47 stri. Per misericordiam salvos nos fecit, sed justitia temperatam, cum absque *ἀνεργῶ* peccata non dimittat. Diximus no-

B 2

tan-

48 tanter justitia temperatam. Ecquis enim exinde misericordiam
 non agnosceret, quod miserit DEUS & donaverit hoc pretium,
 nempe Christum mediatorem, qui satisfaceret; quodque hanc
 satisfactionem Christi, quæ aliena est, nobis tanquam propriam
 49 per fidem imputet. Imitandus nobis Deus in peccatis remit-
 tendis proponitur quoad rem ipsam, non quoad rei modum,
 50 quoad genus, non quoad speciem. Quæ distinctio posterior
 Rappoltiana est. Nam haud eadem ratio est hominis & DEI.
 Deus in remittendis peccatis agit quoque ut justus judex. Homo
 vero non. Homines sunt æqualis conditionis. Deus vero homi-
 51 nes longo post se intervallo relinquit. Hominem itaque homini
 absque satisfactione ignoscere posse, tam certum est, quam quod
 certissimum. Deus vero sine satisfactione peccata remittere ne-
 quit, qui sibi ipsi natura lex, & cujus essentia peccatum averfa-
 52 tur, nisi sibi ipsi vellet abominatio fieri Prov. 17. 15. Innocens
 pro nocentibus non potest pœnas luere, & injustum est, divino-
 que mandato contrarium, si ille nocentis pœnam sustinere co-
 gatur. Sed nocentem tum inhæsi-ve, tum imputative posse seipsum
 53 sponte sua pro nocenti offerre, non est absurdum. Consentit
 nobiscum Petrus Apostolus. Semel Christus pro peccatis passus
 fuit, justus pro injustis, inquit 1. Pet. III. 18. Et Paulus: Christus,
 cum adhuc essemus infirmi juxta temporis rationem pro impiis
 54 mortuus est, Rom. V. v. 6. Augustinus, qui pie illud expendit,
 Medit. 7. O mirabilis censuræ conditio & ineffabilis mysterii
 dispositio, peccat iniquus, & punitur justus. Delinquit reus,
 & vapulatur innocens, offendit impius, & damnatur pius; quod
 meretur malus, patitur bonus, quod perpetrat servus, exsolvit
 Dominus; quod committit homo, sustinet Deus. O mate Deo,
 quo tua descendit humilitas, quo tua flagravit charitas, quo pro-
 cessit pietas, quo excrevit benignitas, quo Tuus attigit amor, quo
 pervenit passio! ego inique egi. Tu pœna mulctaris, ego facinus
 admisi, Tu ultione plecteris, ego crimen edidi, Tu torturæ sub-
 jiceris, ego superbivi, Tu humiliaris, ego tumui, Tu attenua-
 ris, ego inobediens extiti, Tu obediens scelus inobedientiæ
 luis, ego gulæ patui, Tu inedia afficeris, me ad illicitam con-
 cupiscen-

cupiscentiam rapuit arbor, Te perfecta charitas duxit ad crucem. Vid. Grauerus loc. cit. à p. 26. usque 36, & Rappolti Th. Johan. p. 112.

§. 5.

Videmus hinc theses nostræ veritatem ex probatione 55
solida, & imbecillitate argumentorum contrariorum, elucentem. Sed evoluta hoc jam objectum satisfactionis erit indagandum, quod est vel reale, vel personale. Reali objecto comprehenduntur & peccatum ab Adamo contractum, & ea, quæ actualia vocantur, itemque nec debent excludi pœnæ peccatorum, neque æternæ, neque temporales. Objectum personale sunt omnes homines, qui in V. T. vixerunt, etiam illi qui non sunt electi, nec non finaliter impœnitentes, & peccatores in Spir. S. Distincte de singulis agendum. Non enim tantum satisfecit pro peccato originali, qui *Objectum* error fuit Catharini, sed etiam pro actualibus: ab OMNI enim *reale peccata actualia.* iniquitate nos redemit Tit. II. v. 14. & est propitiatio pro peccatis *ta actualia.* TOTIUS mundi, 1. Joh II. 1. 2. Adeoque & expiatio peccatorum 56 actualium in Scriptura diserte illi attribuitur, 1. Cor. VI. 11. mundatio ab operibus mortuorum Hebr. IX. 14. Redemptio à vana conversatione nostra, quæ potissimum in actualibus posita est 1. Pet. I. 18. Hinc mulier illa Luc. 7. 37. sq. peccati originalis non 57 tantum, sed etiam actualium peccatorum dimissionem quærit, & quod in votis unice habet, invenit, quo magna affecta molestia, eo liberatur, quo onere pressa, imo fere depressa, eorum onere sublevatur, ut etiam deinceps Salvatorem majori amore complecteretur, ipsumque impensius diligeret. Nec latro in cruce actualium peccatorum remissionem petens, tristis à Christo abiit, & voti sui compos, omnia à Christo consecutus, regnum æternum ipsi, propter scelera pœnas luenti, non denegatum Luc. 23. 42. 43. Quemadmodum & Paulus odio plusquam Vatiniano mem- 59 bra Ecclesiæ, Christumque ipsum, prosequens, nec blasphemiam & alia tentare flagitia cessans, peccatorum suorum condonationem se adeptum profitetur, quod Christus JEsus venerit in mundum, ut peccatores salvos faceret, cujus exemplum manifestissimum in seipso exhibitum 1. Tim. I. 16. Vid. D. Ægidius Hun-

B 3

nus

nus in disp. de Justific. hominis coram Deo, quæ extat in Tom. I. Marpurg. p. 167. disp. 16. §. 53. - 57.

§. 6.

Pœna. Nec tantum pro culpa expianda valet Christi Salvatoris satisfactio, ut interim pro pœna nulla reliqua esset. Sic enim rursus dimidia pars nostræ redemptionis nobis ascriberetur, & nos focii essemus nostræ salutis promovendæ, quod quam impium & Antichristianum sit, nullus tam ignarus rerum erit, qui nesciat, tam iniquus, qui neget. Pro ipsa itaque pœna pœnas tulit. Castigatio, inquit Esaias, seu disciplina pacis nostræ super eum: quandoquidem ipsius passio atque mors fuit pœna legis transgressoribus dicta, & propter delicta nostra nobis destinata, quam vero loco nostri subiit, peccata nostra perferens in corpore suo per lignum, 1. Petr. II. itaque dicit Apostolus: Christus nos redemit à maledictione legis pro nobis factus execratio. Galat. III. 13. quæ continetur Deuter. XXVII. Quin fieri non potest, ut à satisfactione pro culpa, satisfactio pro pœna sejungatur. Ubi enim culpa dimittitur, pœnæ amplius locus esse non potest, siquidem pœna nil quicquam vindicat, nisi præeuntem admixtæ culpæ reatum. Et certe quomodo Magistratus injustitiæ crimine posset absolvi, si facinorosum liberum, à culpa declararet, & nihilo tamen minus pœnas de illo sumeret, eumque ad supplicium condemnaret. Absit vero ut Deus vel pœnam loco satisfactionis pro peccato requirat ab iis, quibus videri velit culpam dimisisse, vel pro uno delicto geminam decernat pœnam, unam Christo, alteram vero nobis infligendam. Unde neque calamitates, quibus pii in hoc mundo afficiuntur, & quarum oneri se non possunt subducere, non modo non satisfactionis pro peccatis coram Deo, sed ne pœnæ quidem rationem habent. Deus enim vere in Christum credentibus, nullam pœnam infligit, quoniam per fidem omnium peccatorum remissionem adepti afflictiones non ab irato numine proficiscuntur, sed à charissimo patre. Vid. Feuerb. in Synt. I. P. III. disp. X. p. 1413. Nec obstat locus: gaudeo in passionibus pro vobis, adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea

mea pro corpore ejus, quæ est Ecclesia Col. I. 24. Non enim hoc indicat, quasi passionibus, quas Christus in corpore suo pertulit, quicquam desit, quod ad plenam & perfectam hominum liberationem pertineat. Blasphemia enim esset execranda, & flammis ultricibus vindicanda, cum passione Christi totus Deo mundus sit reconciliatus, & per eam ipsi æterna redemptio parta, cogitare, ne dum dicere, passionem illam ab ullo vel Spiritu cœlesti, vel etiam ab homine suppleri. Calcabat torcular solus. Sed loquitur de afflictionibus, quibus Christum adhuc in piis impii prosequuntur, tanquam in membris suis ipsi adhærentibus, qui in mystico Ejus corpore, Ecclesia, constituti, quævis mala à mundo ingrato perferre coguntur, uti Saulus non tantum pios homines occidebat, sed ipsum Christum. Unde etiam vox de cœlo audita factum istud redarguens: Saul, Saul, quid persequeris me? Act. IX. 4. Istæ afflictiones nondum sunt completæ, nec metam habuerunt, sed ad mundi tempora permanent, iisque illi qui Christo nomen dederunt, non plane carere poterunt. Ita enim res est comparata, quamdiu restant pii affligendi, tamdiu illis aliquod deest, quod Apostolus non tantummodo supplevit, sed etiam alii viri sancti, miseris in hoc mundo obruti propter Christum, quem professi fuerunt. Recte Franzius ad h. l. Sicut Christus propter veritatem dictam, Joh. 8. multi pati necesse habuit, ita destinavit Deus similes passiones omnibus piis propter professionem veritatis. Quando igitur propter veritatem sustinent adversa & ærumnas, *explere* dicuntur ea, quæ desunt corpori Ecclesiæ, antea nimirum prævisa, à Christo prædicta, imo in Epistola ad Roman. prædestinata mala toleranda. Hoc ipsum est, quod Gal. VI. v. 17. Apostolus inquit: ego stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Videatur Franz. in Tract. Theolog. de interpret. Scripturæ p. 637. & D. Ægidius Hunnius in l. c. d. 58. seqq. Rappoltus in observation. ad Coloss. observat. 15. pag. 732.

S. 7.

Quamvis Christus poenas æternas in perpetuum non sustinuerit; tamen pro æternis poenis in perpetuum perferendis

*Calamitates
piorum non
sunt poena.*

Æterna.

71

rendis nos liberavit, cum quidem mortem non æternam, pœnam
 72 tamen morti æternæ æquivalentem, perferret. Facile igitur ar-
 gumentum Ostorodi corrui, quod pro invicto habet: Quicun-
 que non subiit æternam mortem, is pro nobis non satisfecit. At-
 qui Christus non subiit pro nobis æternam mortem, alias enim
 adhuc mortuus esset. Ergo Christus pro nobis non satisfecit.
 Et quod Bellarminus regerit lib. IV. de Christi anima cap. 8. Si
 hoc argumento aliquid concluderetur, Christum passum fuisse,
 quod nos pati debuissimus, debuisset Dominus in perpetuum per-
 manere in inferno, & infinitum prope numerum pœnarum per-
 peti. Nos enim merebatur æternam damnationem, & sumus
 73 prope infiniti, qui hoc merebatur. Distinguere enim possumus
 inter pœnæ essentiam & quidditatem, quam Christus pro nobis
 luit, & quam divina majestas postulavit, & inter circumstan-
 tiam pœnæ, nempe æternam istius durationem, quam Christus
 74 non expertus, quoniam fuit æternus & infinitus, qui sua po-
 tentia mortem superare potuit, & victoriam reportare. Unde
 etiam more impiorum spem salutis nunquam abjecit; cum
 pœnæ damnatorum desperationem essentialiter non includant.
 75 Quin potius ex sacris literis constat, & in hac vita nonnullos pœ-
 nas infernales, & diros animarum cruciatus sentire, quos tamen
 ideo desperasse de divina gratia, nemo poterit demonstrare. Et
 76 sententia Feuerb. maxime placet: damnati patiuntur pœnas æ-
 ternas scribentis suam impietatem perpetrando incessabiliter.
 Desperatio ideo in damnatis hominibus evenit, quia illi non tan-
 tum sunt in se ipsis peccatores, sed etiam, quia divinæ misericor-
 diæ in Christo hominibus factæ, per filialem fiduciam non inni-
 tuntur. Verum ἀπιστοι per mortem discedunt, & ex inferno suis
 eluctari viribus nequeunt. Quid, quæso Te, hæc ad Christum
 θεῶν ἰσοπέτοι illum sanctum sanctorum vere accommodari possunt?
 Procul ergo hinc facessant rationis humanæ, per peccatum cor-
 ruptæ, arguta quidem, ast vana Sophismata, quorum in Hemis-
 phærio cum primis Theologico adhibitio est Deo obominabi-
 lis, hominibusque ipsis exitialis. Grauerus disp. Schol. &
 Theol. de novo ac horrendo dogm. p. 40, Feuerborn. in disput.
 de

de passione J.C. quæ extat in Fasc. II. Operum D. I. p. 171. & disp. de dicto Johannæo, p. 1373.

§. 8.

Quando autem dicimus, Christum satisfacisse pro pœnis, *temporales.* tunc non tantum æternas intelligimus, (uti Jesuitæ disputant, pro 77 temporalibus nos posse satisfacere ex condigno. Bellarmin. l. II. de Indulg. c. 9. non quidem sine, sed cum passionibus Christi. L. II. c. 5. utpote qui virtutem satisfaciendi suis membris communicaverit c. 7. Proindeque abesse ut fidere sanctorum meritis vel blasphemum vel contumeliosum in filium Dei, haberi debeat, ut potius sit ipsi per honorificum & gloriosum c. 9. V. Feuerb. Fasc. 5. d. 3. p. 790.) verum etiam temporales, quod Dorscheus hoc argu- 78 mento asseruit: Quæ solutio sufficienter tollit, quicquid in humano genere ex raptu majestatis divinæ aliquem reatum causare potest, illa omnis alterius solutionis proprie dictæ necessitatem excludit. Atqui solutio à Christo in officio sacerdotali præstita, sufficienter tollit, quicquid in humano genere ex raptu majestatis divinæ aliquem reatum causare potest, ergo solutio Christi omnis alterius solutionis & satisfactionis necessitatem tollit. Vid. Dorscheum Pent. disp. Majorem & Minorem ex ipsis Pontific. hypothesebus prolixè probat disp. cit. d. 26. 27. 28. Cui accedit ali- 79 ud: A quorumcunque peccatorum reatu raptum majestatis divinæ involvente liber est Christus ex supremæ suæ *dignitatis* divinæque sanctitatis vi, pro illis respectu generis humani satisfacit. Atqui à peccatorum reatu sive ad æternas sive ad temporales pœnas nos obligante liber est Christus, ex supremæ suæ divinæque sanctitatis vi. Ergo pro peccatis & pœnis seu æternis seu temporalibus respectu generis humani perfecte satisfacit. Vide probationem Min. in disp. integra de Deo Ecclesiam proprio sanguine redimente & argumentum l. c. d. 33.

§. 9.

Pro omnibus hominibus satisfactio ista fuit præstita. Sic e- *Obiectum* nim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Joh. *personale o-* III. 16. & comprehenduntur non tantum illi homines, qui post *mnes homi-* Christum natum vixerunt, & qui consilium Christi de salute au- *nes etiam* dire *V.T.*

- dire potuerunt. Repugnat enim huic assertioni vocabuli mundi illimitata collocatio, quod omnium temporum homines sub se comprehendit, Rom. III.v.6. 1.Cor.I.20. Rom.V.12. qui sub lege fuerunt, & sunt in cœlo & in terra, ex quo sic colligimus. Quicunque pereunt, sunt pars mundi, fuerunt sub lege, & comprehenduntur sub iis omnibus, qui sunt in cœlo ac in terra, ad eos spectat Christi satisfactio, Matth.18.v.11. Joh.III.17. Gal.IV.4. 1.Joh. 4.14. Rom.8.32. Eph.I.10. Col.I.20. 2.Cor.V.5. Hebr.X.2. Sed illi, qui ante incarnationem Christi vixerunt, per peccatum perierunt, sunt pars mundi, fuerunt sub lege, comprehenduntur sub iis omnibus, qui sunt in cœlo & in terra Act.XV.10. Rom.V.15. Ergo etiam ad eos, qui ante incarnationem Christi vixerunt, satisfactio pertinet. Nec excluduntur hic impii, uti Calv. in primis Syn. Dordracenæ defensores vocabulum mundi pro absolute ad æternam vitam electis accipiunt. Et Rivetus asciscit Pontificios, ceu Suffraganeos. Wilh. Estium, Vasquez & Bellarminum. Quamvis nonnulli Calvin. ægre ferant id sibi imputari, præcipue Contra-
- 82 Remonstrantes in Belgio, non inficientes Christum pro omnibus mortuum esse, Scriptura enim hoc loquendi modo non semel utitur. Illud interim monentes, Scriptur. de passione & morte Christi diversimode loqui. Jam enim Christum pro omnibus mortuum esse affirmare. Jam pro multis, pro Ecclesia, pro his quos Pater ipsi dedit, sanguine fudisse, & mortem subiisse contendere. Quæ Scripturarum loca in speciem pugnancia commode ut concilientur, necesse esse fatentur, mortem & passionem Christi geminum subire respectum. Nam aut considerari ut pretium & *λύτρον* omnium hominum peccatis expiandis & tollendis sufficientissimum, aut ut virtutem efficacissimam, qua remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo actu & re ipsa hominibus impetretur. Priori sensu verum esse, Christum pro omnibus esse mortuum, & posteriori, non nisi pro paucis & solis electis. Sed nos distinguimus inter objectum adæquatum, quod soli electi, qui redemptionem sibi applicant, & inadæquatum, quod totus mundus.
- 84 Vid. Rappoltus in Theol. Aph. p.116. & in Introductione in Artic. vii, pag. 1160.

*Dorsch. imp.
pent ad. disp.
n. d. 45. impii*

§. 10.

Utivero per mundum non tantum homines Novi Testa- 85
 menti indicantur, ita non solos electos intelligi certissimum est. *Testimonia*
 Non obstant dicta, quæ nobis adversarii opponunt, Joh. IV. 33. *Adversario-*
 1. Tim. III. 16. Hebr. II. 5. Johannes enim sese clare explicavit 1. Joh. *rum.*
 II. 2. Hæc divina veritas ita radiis suis affulsit vel ipsos veritatis
 oppugnatores. Inde Johan. Crocius in c. II. Ep. ad Tit. p. 357. scri- 86
 bit, se causam idoneam non invenire cur Joh. III. dilectionem de
 solis electis accipiat. E. Ludovicus Crocius in Synt. th. L. IV. c. 1.
 p. 963. addit. Nectamen Christus hic per mundum intelligit ele- 87
 ctos tantum prout à mundo jam separati sunt, sed totum genus
 humanum univèrse sumptum, prout univèrsum in peccato ja-
 cet, & prout communiter per Evangelium ad pœnitentiam & fi-
 dem in Christum vocatur, sec. illud Marc. XVI. 16. Profiscentes in
 totum mundum prædicate Evangelium omni creaturæ 1. Joh. II. 2.
 Hanc vero non esse *παρεγγυλιαν*, sed genuinam verborum Chri-
 sti interpretationem, manifestum fit tum ex certis verbis, quibus
 communiter omnibus hominibus si modo in filium credant vita
 æterna promittitur, tum ex sequentibus, ubi hic mundus in
 duas partes dividuntur, quarum una in filium credit, adeoque
 dilectionem Dei, lucem, vitam & salutem amplectitur; altera ve-
 ro non credit, quam postmodum dilectione & gratia Dei privat,
 judicii que æterni ream agit, tum denique ex tota concione Ev-
 angelii, qua dilectio & gratia Dei in Christo omnibus hominibus
 communiter offertur, iique ad pœnitentiam & fidem invitantur
 vid. de hoc Feuerb. in Synt. I. p. II. dis. II. Unde bene se explicat 88
 Hunnius in Loco de prædestinatione inquiring: ideo in novissi-
 mo die damnabuntur impii, quod hanc ipsam pretiosam satisfa-
 ctionem Christi amplecti recusarunt. Quæ si nunquam pro iis
 esset præstita, nunquam etiam ob non apprehensum id, quod ip-
 sis nunquam fuisset destinatum, damnari possent Vide Dorsch.
 prolixè id deducentem in disp. XI, Pent. p. 383. Maxime D. Ægi-
 dium Hunnium disp. de satisfactione, ubi ex tribus argumentis
 assertionem hanc accurate per totam dissertationem evolvit,
 extantem in T. I. Marpurg. d. 14.

C 2

§. II.

§. II.

*Peccatores
in Spiritum
Sanctum.*

89 Quod vero peccatores in Spiritum S. attinet, nec de illis dubi-
90 tandum esse videtur. Apostolus enim Petrus expresse asserit, Chri-
stum eos mercatum, qui ipsum abnegant & damnantur, quod u-
trumque in peccatores in Spiritum S. cadit, Matth. 12. Nec suffi-
cienter mortuum esse pro talibus peccatoribus, sed non efficien-
ter, seu ut loquitur Robertus Salisburiensis, satisfacere voluisse,
dignitate pretii, sed non voluntate propositi. Nam res eodem re-
dit. Etenim qui non voluntate propositi pro peccatore in Spiritum
91 S. mortuus est, nec ipso facto pro eo fuit mortuus. Nec etiam à
nostra sententia nos abduci patimur, quando c. X. Ep. ad Hebr. v.
26. objiciunt. Phrasis enim ista: non amplius reliqua est hostia,
non indicat amissionem victimæ pro peccato in Spiritum S. obla-
92 tæ, sed asseritur victimæ à Christo oblatae unitas, Joh. 14. 9. Nec ip-
se Pareus hanc explicationem rejicit in Comment. in hanc Episto-
lam, Hostiam pro peccato intelligit expiatoriam, propter quam
Deus placatus remittit ipsis peccata. Negando hanc reliquam
esse apostatis, negat spem remissionis veniæ, gratiæ aut salutis
ullam ejus superesse. Negando enim causam negat effectum.
Quæris cur nulla supersit, quia non est nisi unica hostia peccato-
rum expiatrix nempe Pontificis Christi hætenus ad longum de-
monstrata. Hanc vero abjiciunt apostatae. Nulla igitur alia e-
is est reliqua. Tacite vero perstringit eorum vanitatem, quam
prætexebant suæ apostasiæ, satius esse ad Judaismum redire, ubi
plures dentur pro peccatis hostiæ expiatoriæ. Falluntur, nullam
in Judaismo reperient. Siquidem omnes istæ victimæ Taurorum
& hircorum conscientias mundare & peccata tollere prorsus ne-
queunt. Sunque unica Christi hostia, quam abjiciunt, abolita.
Vid. Feuerbornius de peccato in Spiritum S. p. 2061.

§. 12.

*Effectus par-
ticularis.*

93 Quanquam Christus non tantum pro nostris, sed & pro to-
tius mundi peccatis propitiatio, & mundum universum amore
complexus sit, non tamen omnes actu ipso certo salutem asse-
quuntur. Nam qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur,
qui

qui vero non crediderit, condemnabitur Marc. 16. quod non
 indefinite accipiendum esse, patet ex locis aliis | Act. 13. 39.
 Es. 28. 16. Adeo ut mirandum sit, quosdam in hoc veritatem prate-
 rire, ut Libertinos, Puccium & Huberum cum asseclis, de quibus
 Calvinii instructio adversus Libertinos in Tract. Th. Genevæ 1612.
 in folio recusa p 433. Luc. Osiand. in refutatione scripti Pucciani
 Tübingæ 1593. impressa, & D. Hunnius in explicatione contr. Hu-
 berum. Culpa enim imputanda est hominibus, qui satisfactionem 94
 istam firma fiducia non apprehendunt & sibi applicant, quippe
 quæ requiritur ad salutem acquirendam, quia sine ea felicitas æ-
 terna constare nequit. Quod quidem tanto firmiter est creden-
 dum, quo magis infensissimus humani generis hostis, probe sciens
 quantum in eo momentum situm sit, densissimus tenebris obfu-
 scare conatur. Non jam adducam Photinianos, qui non opus 95
 esse ad nos servandos applicatione existimant, Socinianos, qui
 putant satisfactionem imputari non posse, Vorstium, qui à risu
 sibi pene temperare non potest. A positione enim satisfactionis
 non sequitur imputationis negatio, cum necessitas postulet non
 tantum, ut suam satisfactionem suo satisfaciens reo adscribat,
 verum etiam reus eandem accipere & suam reddere obligetur.
 Satisfactio Christi pro nobis præstita nostra non est, nisi per
 divinum favorem in ipsum credamus. Pretiosa sunt verba
 Hunnii & auro omni chariora: Quamvis vere ante mille quingen- 96
 tos annos satisfactum sit pro nostris omnibus peccatis, tamen à
 peccatis nos non absolvimur, antequam vera in Christum fiducia
 nobis applicemus istud præstitum meritum, atque ita Deus hoc
 nobis imputet. Hac enim conditione satisfactio facta est. Quam-
 vis enim satisfactio vere sit facta, ejus tamen fructus ad nos non
 transit, prius quam vere credamus Christum propter peccata no-
 stra attritum, & propter iniquitates nostras vulneratum esse. Vid. 97
 Thummii impietas Photiniana in Art. de Justif. p. 501. seqq. Feuer-
 born. Synt. III. P. III. disp. 10. p. 1427. & ib. Diss. pr. P. O. Th. 10.

§. 13.

Nunc perspecta deletionem peccatorum quæ fit meritorie,
 post de ea, quæ applicatorie fit, est agendum. Fit autem illa



*Applicato-
rie in Bap-
tismo Modg.*

in Baptismo, in Justificatione, in Sanctificatione, in Morte, Cinc-
fatione & Glorificatione. Vide Magnifici Domini Præsidis Ob-
servations publice prælectas in p. 42. Th. 28. Nuclei Theologici.
Fit applicatorie (1) in Baptismo, quando Christum induimus, ubi
reatus peccati solvitur & damnatio tollitur, Rom. 8. Unde fit, ut
peccatum originale aliter considerandum sit in renatis, quam in
non renatis. In renatis quidem illud est, & in eorum carne ha-
bitat, Rom. VII. 18. sed remissum & obiectum, Rom. IV. 7. Christi
98 sanguine mundatum, 1 Joh. I. 7. Sua quidem natura adhuc res
damnata est, sed quæ propter reatum solutum vim suam exercere
non potest. Cum e contrario in non renatis efficax sit ad damna-
tionem, ipsos reos iræ constituat, filios iræ & vasa iræ c. 9. v. 22. ita
99 ut excellentissimis etiam virtutibus præditi, & luce ipsarum ful-
geant, sint tamen prava generatio. Vid. D Arcularius in disp. de
peccat. tam angelorum quam hominum. T. II. Marpurg. p. 130.
100 Non igitur Baptismus per totalem deletionem peccatorum est de-
finiendus, quod faciunt Pontificii. Urgent quidem vocab. delere,
quod talem extirpationem significet, sed posito hoc, non tamen
ex censura rationis humanæ judicandum esset, sed ex Schola Spir.
S. quæ peccata tantum tegi, non imputari, nequaquam vero pe-
nitus extirpari asserit. Cum vero tantum absit, ut voc. istud no-
stræ repugnet sententiæ, ut potius eam stabiliat ac confirmet, ju-
stam à nostra sententia discedendi causam non habent, quod ac-
curate ut solet explicatum dedit Höpffn. disp. IV. de Just. Aph. V.
sq. Quam explicationem silentio non prætermittere operæ præ-
tium erit. Deleri dicitur res aliqua, vel quoad existentiam, vel quo-
ad aliquem ejus proprium actum, aliumve respectum. Et paulo
post: deletio peccati quoad reatum spectati tollit imputationem
peccati, ita ut hac phrasi notetur non dimidiata, sed perfecta, ac
si nunquam peccatum factum fuisset. Sunt autem varii modi
hujus Metaphoræ, quos sacræ literæ ad peccatum transferunt,
quando remissionem ejus per deletionem describunt. Nam ut
reatus notatur similitudine vel maculæ aspersæ, vel nominum
debitoris in rationariis extantium, vel nubis; ita peccati remissio
& peccatoris reconciliatio per deletionem & maculæ & nomi-
num

*Ex vocabulo
101*

num debitoris in tabulas relatorum & nubis describitur. Significatur autem reatus peccatorum, & propter illa odii divini ablationem omnimodam quoad universum reatum & omnem poenam à Deo prorsus jam reconciliato animo, & tam vere, quam ipse vivit obtigisse illi qui justificatur, & si ipsum peccatum quoad materiale & inhærentiam non penitus tollatur & abjiciatur. Consentit Rappoltus in disp. de gratia justif. p. 1736. Quando Deus in textu nostro dicitur delere peccata, auferre, in profundum maris abjicere, hinc posse probari, ille papicolarum Coryphæus autumat, peccatum penitus tolli, non secus, ac si quis lineam carbone ductam tabula deleat. ut nihil maneat de illa residuum. Nos contra peccata sic deleri statuimus, veluti si quis nomina deleat super inducta virgula aut minio, quo color quidem prior, quo scripta erant nomina, non extirpatur penitus, sed tantum linea tegitur, & ita delentur nomina, ut non valeant. Idque probamus ex Psal. 32. v. ubi *μακαρισμὸς* Davidicus in obtegendis, seu non imputandis peccatis acquiescit. Peccatum ergo non penitus tollitur, sed tantum obtegitur, manetque in peccato originali *ἀνομία*, seu vitiosus omnium virium habitus in Adamo contractus, in peccato actuali remanet itidem *ἀνομία* seu irrectitudo actus. Nec locus *V. sectionem nostram didacticam*

noster facile concedit aliam explicationem, cum demonstrat David. quomodo cupiat peccata sua deleri, v. 11. dicit absconde facies tuas à peccatis meis v. 13. orat, ne projicias me à facie tua, ubi *102*

ca facies gratiæ & misericordiæ intelligitur. Averti autem à peccatis suis petit faciem austeram sc. iræ & excandescentiæ. Quod si vero peccatum ita remittitur, ut ne Deus illud facie sua irata respiciat, peccatum materiale manet. Vld. Glassius in disp. cit. quest. 7. D. Arcul. l. c. Et adjungit se nostræ sententiæ August. scribens: Peccatum in baptismo remittitur non, ut non sit, sed ut non im- *103*

putetur, uti adducitur à Philippo Melancht. Aug. Conf. Art. II. Belarminus quidem vult, idem dictum fuisse à Luthero in assertione Articuli secundi, & Johann. Roffensem convicisse eum mendacii. Et Cochleus in discussione Conf. Aug. Art. II. ipsum Philippum *Testimonio Augustini.*

convictum ob eo confessum esse, locum Augustini male citasse. Sed ipse Pontificius Georgius Cassander, fratres suos *104*

falsi

falsi arguit, primo loco ponens Augustinum, qui Concupiscentiam post Baptismum pro peccato haberet, quod cum deletione stare non potest. De Art. II. Aug. Conf. ex Augustino, & reliquis scriptoribus Ecclesiae convenit, concupiscentiam, quam post baptismum reliquam Apostolus legem membrorum appellat repugnantem legi mentis, ab Apostolo, & eum secuto Augustino, peccatum nonnunquam appellatum, non modo quia peccatum facta est, sed & quod fomes & incentivum peccati, & dominationi mentis resistit. Si igitur peccati rationem in vitio illo & iniquitate, languore, infirmitate & morbo constituas, cui spiritu resistendum sit, ne actus illicitos gignat, non inepte peccatum dicitur. Certe insignis quidam Theologus aperte asserit, etiam in regeneratis manere peccatum, tametsi non imputetur Augusti-

Lutheri. ni vestigia legit Lutherus: Solche Vertilgung der Sünde/ dar-
 105 innen Christus als ein König des Reichs Gottes regieret/ wircket
 er zweyerley weise. Erstlich also/ daß er die Sünde vergiebet/ nach-
 läset/ und bedecket dermassen/ daß sie Gott nicht ansehen/ achten
 oder rächen wil/ ob sie gleich in Menschen ist: Hernach also/ daß
 er die Sünde purgire und reinige/ durch mancherley Creuzigung
 und Leiden/ denn es sind zweyerley Dinge/ Sünde vergeben/ und
 Sünde wegnehmen/ oder ausfegen. Wenn ein Mensch gläubet
 und getaufft wird/ so sind ihm alle seine Sünde vergeben. Citatur
 à Dannhauero in Lactis Catech. p. 2. p. 700.

S. 14.

Effectus. Quamvis vero credentes, qui in JESU sunt, concupiscentia
 106 post baptismum reliqua Deo non faciat exosos, nec ipsos dam-
 net: tamen id non inde fit, quod reliqua in renatis concupi-
 scentia sit res bona, sancta, Deoque placens, quod eleganter
 disputatio Augustini refellit Lib. VI. contra Julianum cap. 6.
 107 Cum enim dixisset, concupiscentiam reatu suo jam soluto ma-
 nere tamen in baptizatis, Julianus hoc ita accipiebat. quasi con-
 cupiscentia per baptismum reatu liberetur, ita ut post baptis-
 mum in renatis sit res bona ad salutem. Augustinus vero re-
 spondet, si hoc sentirem, profecto non dicerem eam ma-
 lam

lam fuisse. Et paulo post: nos malam illam dicimus, & manere tamen in baptizatis. Sed, inquit Julianus, reatus jam solutus est: responderet: non reatus ejus, quo ipsa erat rea, neque enim aliqua persona est, sed quo hominem reum originaliter faciebat, remissus atque vacuatus est, ut quosdam audis in aliquo homicidii reatum solutum, non ipsum homicidium, sed hominem a reatu existentem absolutum. Manet igitur, quod Paulus de concupiscentia in se renato dicit habitante, quod in me est, in carne mea habitat, non est bonum. Vide dialogum illum adducentem Chemnit. diffuse in examine concilii Tridentini p. 171. Quod quidem eo magis attendendum, quo deprimere hanc doctrinam dissentientes omnibus modis operam impendunt, de rebus gravissimis & utilissimis nos instruentem. Quomodo enim dogma de 108 justificatione sine ea factum tectumque manere possit, non video. Unde etiam tempore Pelagiani certaminis accerrime fuit disputata.

§. 15.

Postquam à nobis est deductum, concupiscentiam etiam post Baptismum *Vindicatus* manere malam, Pontificii nequaquam causam habent calumniandi, quasi Ec- 109 clesia nostra sentiat & doceat, plane eodem modo & similiter manere post Baptismum peccatum, sicut id est ante Baptismum. Unde etiam Origenianis nos & Marfilianis, ad sociant, inter quos Proclus fuit. Ubi notandum, Pro- 110 clum illum quamvis in multis origeni contrarium, ab Epiphano propter doctrinam de peccato in renatis reliquo nullibi esse reprehensum. Et Messalini plane aliud docuerunt. Illi enim, uti constat, omnem verbo & Sacramentis ad animarum nostrarum salutem, imo etiam sanguini Christi vim ademerunt. E contrario precibus omne conversionis robur tribuerunt. Unde delirarunt, peccatum radicitus tolli ex homine, & exire de ore hominis, non comburentemque aliquem divinum ignem intrare. Vid. Dorsch. maculam hanc abstergens in Pent. disp. XI. §. 41. Et evolvant quæso Apologiam, ubi duas veras, *Ex Apolo-* & valde insignes differentias inveniunt inter concupiscentiam, quæ est in- *gia.* non renatis, & adjunctum habet reatum iræ Dei mortisque æternæ. In re- 111 natis vero sublatus est iræ divinæ reatus per Baptismum. In non renatis regnat peccatum Eph. 1. 1. seq. In renatis vero actiones carnis mortificantur. Rom. 8. 1. Hic enim est Status Controversiæ. An reliqua concupiscentia in illis, qui non obediunt desideriis peccati, sed per Spiritum mortificant actiones carnis, & cum Paulo Rom. 7. dolent de illa immuditie, sit peccatum, uti ponit Chemn. in locis. Negativam amplectuntur Pontificii, quibus se adjungunt Sociniani. Ita enim inquit Socinus, nos à Stoicis errorem nostrum esse

D

mutua-

mutuatos, in quo nequaquam, ut in plerisque aliis consentientes habere-
 mus Papistas, quamvis appellet nostram sententiam errorem ex leviorem,
 doctrinæ Evangelicæ numero. Vid. Thumm. in Impietate Photiniana de pec-
 cato concupiscentiæ p. 289. Et Rappoltus in Synopsi Controvers. in Epit.
 Form. Conc. p. 1967. Accenset his eos, qui rebellionem appetitus sensitivi, &
 inordinatos motus concupiscentiæ primo homini naturales fuisse statuunt.
 Neque si placuisset Deo, hominem conditum in statu mere naturali relin-
 quere, intellectum impotentem cognoscere, voluntatem inordinate con-
 versam & averfam peccati vel praviratis loco & nomine venisse. Affirma-
 tivam vero sententiam nostræ Ecclesiæ tuentur hoc argumento. Quicquid
 expressis verbis appellatur peccatum, illud est peccatum. Atqui concupi-
 scentia Rom. 7. Ergo etiam est peccatum.

§. 16.

Vindicatio- Sed ut etiam audiamus exceptiones adversariorum ad hanc probationem,
ne. præcipuas adducere animo sedet. Variæ igitur quæsitæ sunt cavillatio-
 nes, quibus manifestum hoc testimonium eludere voluerunt. Pontificii e-
 nim per concupiscentiam intelligunt, concupiscentiam voluntariam, ubi
 interno vitioso motui consentimus, veluti & Socinus explicat. Dicunt a-
 gere Paulum de moribus voluntariis, quibus quis quodammodo assentiatur.
 Cum tamen nihil aliud intelligatur ac primi inordinati ac vitiosi motus,
 qui & invito obrepere solent. Expressis vero verbis Apostol. asserit ejus co-
 gnitionem se tantum ex lege habuisse, imo difficulter & non nisi per accura-
 tam legis contemplationem ἀνομίαν deprehendisse. Jam vero concupi-
 scentia formata notitia etiam sine lege haberi potest. Et D. Jac. Wellerus
 in Comm. in hunc locum Justinianum & Salmeronem citavit, qui fatentur,
 istos motus, quibus adstipulamur, licet in actum non erumpant, ante legem
 fuisse ut peccata agnitos. Nec exceptio secunda majoris momenti est, quan-
 do dicunt, Paulum loqui de se non renato. Ita Eccius Wormatiæ dixit: Ve-
 teres interpretatos fuisse, Paulum loqui de Judæo aliquo non renato, uti et-
 iam Adamus à Cozen sententiam illam imputat Comm. Ambrosii. Sed
 Paulum loqui de se abunde docet id, quod prima semper persona sit collo-
 cata: Ego agnovi, ego carnalis sum, ego consentio, ego non facio, ego
 perpetro, ego delector, ego servio, nec apice ullo innuitur de alio sibi ser-
 monem esse. Loquitur de eo, cui peccatum non dominatur, qui non sub
 lege est, sed sub gratia c. 6. v. 14. qui quod operatur non probat, qui conde-
 lectatur lege Dei c. 7. 22. quod non de non renato intelligi potest. Videat,
 Thumm.

Thumm. in impietate Phot. p. 290. usque 310. Quod vero Eccius dicit, veteres ita sensisse, à veritate alienum est, cum, Aug. in retractationibus dicit, errorem suum confessum fuisse, clarissimum sit, contrariumque nos docuerit Höpffnerus disp. III. de Justif. p. 196. Commentarius vero in Epistolas Paulinas vulgo Ambrosio ascriptus, est supposititius, quod ex Bellarmino & Baronio demonstravit Jacobus Wellerus in Com. ad Rom. p. 421. Imo Augustinum contra Julianum allegasse inter veteres præcipue Ambrosium, qui ita exposuerat Paulum de se jam renato loqui, acutissimus Chemnitius in loco de peccato originis P. I. p. 247. proposuit.

§. 17.

Argumenta contraria ex Sacris desumpta quamvis magno furo proferrantur, non tamen victas illis dabimus manus. Ita Act. II. baptizetur unusquisque in remiss. peccat. Mich. 7. 19. Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra Ps. 103. 12. Quantum distat ortus ab occidente, elongavit à nobis iniquitates nostras. Et sane Augustinum hoc argumentum valde turbabat ex istis dictis depromptum. Omnibus enim modis calumniam illam effugere studebat, quasi doceret in baptismo non dari veram & plenam remissionem peccatorum. Sed si distinguimus inter remissionem peccati, & ejus mortificationem, omnis difficultas sublata videtur. Remissio, quæ tollit reatum, est perfecta, non vero mortificatio, uti docuit Chemnitius L. I. p. 246. & in Exam. Conc. Trid. ad Decret. V. Sess. p. 183.

§. 18.

Neque ex præscriptis Philosophiæ judicandum, quæ peccatum non agnoscunt, nisi quod cum consensu & voluntate conjunctum est. Scriptura enim Sacra merito illis est anteposenda. Vid. Disp. D. Winkelm. de perfectione justitiæ Christianorum T. II. Marburg. Disp. 22. p. 241. Imo ipsi Philosophi illud agnoverunt. Lactantius L. VI. instit. div. p. 635. inter alia allegat Testimonium Ciceronis, qui virum bonum & justum descripsit, qui non modo facere, sed ne cogitare audeat quicquam, quod non audeat prædicare. Et gentiles concupiscentiam peccati loco habuisse, improbæque cupiditatis pœnas, à se exegisse, è Seneca deduxit Rappoltus in Synopsi contr. in Epit. Form. Conc. dis. II. p. 1966.

§. 19.

Deletio fit per justificationem, quando peccata remittuntur, & justitia In justificatione Christi tione.

D 2

Christi imputatur, quamvis Scriptura justificationem describat modo ab uno termino, remissionem peccatorum Pl. 32. 1. modo ab altero Rom. IV. 5. nempe imputationem justitiæ Christi. Videatur Höpffnerus Disp. 1. de justific. Aph. 8. Himmelius in Collegio Antiphot. disp. 13. p. 224. quæ omnia peccati præsentiam adhuc manifestant. Videatur Höpffnerus in Tr. de just. disp. 10. p. 884. Errant igitur Pontificii, qui per modum actionis non forensis, sed physicæ, quo peccata expelluntur & justitia introducatur, veluti in calefactione frigore sublato introducitur color, justificari contendunt.

Probatio & refutatio ex doctrina morali. Videatur Rappolt. in Papismo certis Aphorismis incluso disp. VI. Aph. III. p. 1161. Jam vero nunc non demonstrabimus, quomodo suam prodant inscitiam. Elegans ap. Pufendorffium extat locus. Id duntaxat adhuc monendum, graviter illos hallucinari, qui, ut reatus actionis malæ tollatur

125 propter non imputationem seu condonationem, requirunt infusionem, qualitatis alicujus contrariæ seu habitus Justitiæ. Quemadmodum maculas parietis delemus superinducto tectorio, aut foetorem accenso thure dissipamus, in quem errorem eos introduxit ignorantia rerum moralium, & quod crederent, qualitates morales eodem modo produci aut deleri, quod physicæ solent Lib. I. de jure naturæ & gentium c. 9. §. 6. Et certe ista significatio ex verbo Dei nequaquam potest demonstrari. Loca Apoc.

Scriptura 22. v. 11. I. Cor. 6. 11. nihil evincunt. Nam quod priorem attinet, fingatur hic quæso infusio pontificia, & qualis sensus emerget? Johannes enim de effectu ministerii Evangelici apud homines nempe piorum in fide confirmatione, improborum vero excœcatione agit: posterior vero contradicit ipsis. Non enim dicit Apostolus vos sanctificati estis, vos justificati per infusionem Justitiæ Christi, verum in nomine Christi. Significationem inde physicam, quam Pontificii fingunt, evertunt Scripturæ Sacræ, autores profani, & propriæ hypotheses. Etenim quod verbo Dei opposita sit ista justificatio, colligimus exinde, quando Paulus dicit, Justificationem esse remissionem peccatorum. Jam vero infusionem justitiæ non esse remissionem peccatorum, ipsi ambabus largiuntur manibus Pontificii. Autores quoque Classicos istam significationem ignorare tamdiu uno ore profitemur, donec ex ipsis proferant exemplum, quod justificare significet vel imbuere aliquem habitu justitiæ, vel infundere qualitatem justitiæ cum Chemnitio in Examine concil. Tridentini p. 236. Ut proinde gratis dictum fuerit ab Hugone Grotio, verbum hoc in primo ac nativo sensu, significare sanctum efficere & justitiam infundere, quod prolixè illi D. Hülse-

mannus

mannus in Harmonia Apostoli Pauli & Jacobi, à Carpzovio in Collegio Antipap. P. I. Art. V. Aphor. I. laudatus, demonstratum dedit. Et quot *ipforum hy-* absurda ap. ipsos hæc assertio pariat Pontificios, vide D. Arcularium in *potbesibus.* disput. de Justific. hominis coram DEO T. III. Marpurg. pag. 193. usque 197.

§. 20.

Porro deletio fit in sanctificatione, ubi peccatum deletur ratione Domini *Sanctifica-* nii, Rom. VI. v. 12. quæ vel est separativa, vel consecrativa, vel conversiva, *tione.* vel confirmativa, uti Feuerbornius docuit in Synt. 2. disp. 12. p. 1594. 127

§. 21.

Tandem etiam fieri solet in morte, cinefactione & glorificatione. In mor- *Morte, ci-* te omnis peccati sensus tollitur. Nam uti anima fuit subjectum peccati, ita *nefatione &* quando anima à corpore divellitur, ipsum peccati habitaculum destrui ne- *glorificati-* cessam est. Qui mortuus est, liber est à peccato Rom. 4. 7. In cinefactione *ne.* non statim videtur, quid sit respondendum, an peccatum maneat in corpori- 128 bus defunctorum, donec per corruptionem redigantur in Cinerem. Si affirmatur, contradicitur Paulino loco allegato Rom. 4. Si negatur, quomodo corruptibilitas cadet in corpus peccato destitutum? Nos sic respondemus. Partem peccati originalis usque ad Cinefactionem remanere, cum subjectum illius æque licet secundarium sit corpus. Quando enim anima discedit & vinculum naturale rumpitur, tunc quidem redit ad Deum, & omni peccato carens videt eum à facie ad faciem, æternisque gaudiis perpetuo fruitur. Corpus autem nondum plane liberum ab inhærentia peccati per cinefactionem 129 quasi subigendum terræ mandatur. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione 1. Cor. 15. Vid. Rapp. in Synt. contr. Form. C. disp. II. de pec- 130 cato originis p. 1968. Non renatis autem malum hoc tam tenaciter inhæret, ut etiam per mortem in cinerem redacti, deformitatem istam non deponant. Dan. 12. 2. Vide Arcularium disp. de peccato p. 132. Tom. II. Marp. In glorificatione deletur quoad inhærentiam ratione ipsius animæ. Nulla enim anima impura & peccatis inquinata regnum cœlorum ingrediatur. Apoc. 22.

SECTIO EROTEMATICA.

QVÆSTIO I.

An viator possit totalem deletionis effectum vel plenam peccati abolitionem

D 3

tionem

tionem in hac vita precibus ambire? Re. p. Negando. Habet enim Deus suas causas, ob quas peccatum in statu viatorum penitus delere nolit. I. Quoniam lex 40. annis posterior promissione Abrahamo facta non ideo lata, ut salutem gratis promissam promeretur, sed ut peccatum argueret & ad Christum duceret. Gal. III. 17. 22. II. Ne superbiremus. Ita dicit Apostolus: ne efferrer super revelationem hanc, datus mihi stimulus carnis, colaphis percutiens. III. Ut nostras infirmitates, & necessitatem divini auxilii agnosceremus. IV. Quia perfectio nostra reservata est, usque ad statum gloriæ 1. Cor. XII. vers. 10. Hinc itaque Paulus responsum abstulit: sufficit Tibi gratia mea, nam mea virtus in infirmis non est debilis 2. Cor. XII. 9. vide Hülsem. in Breviario extenso p. 297. Nos ita argumentamur ex præsuppositis. Ad quam peccati abolitionem requiritur multiplex deletio non tantum in baptismo, justificatione & sanctificatione, sed etiam in morte, cinefactione & glorificatione illam viator non potest precibus in hac vita ambire. Atqui ad totalem deletionem peccatorum effectum vel plenam peccati abolitionem requiritur non tantum deletio in Baptismo, Justificatione & sanctificatione, verum etiam in morte, cinefactione & glorificatione. E, illum effectum totalem non potest precibus ambire viator. Minor probatur in sectione nostra didactica de deletionem applicatoria. Phrases Arndianæ. Bewahre meine Seele durch deine Göttliche Furcht/ daß ich nichts wider deinen Heiligen Willen gedencke/ rede und thue. In der ersten Claß im 2. Gebet. Item O GOTT Heiliger Geist/ mach mein Herz zu einem lebendigen Opfer/ daß im Feuer deiner Liebe brenne und aufgeopfert werde/ daß alle meine fleischliche Begierde durch das heilige Feuer verzehret werde/ n. 2. Item Die böse Lust ist der verbotene Baum/ wer davon isst/ der wird sterben/ und wenn die sündliche fleischliche Lust vollbracht ist/ so werden unsere Augen aufgethan/ und wir sehen alsdenn unsere Schande und Blöße. Ach behüte mich dafür du Heiliger und Gerechter GOTT. Im 46. Gebet. Sunt pia desideria ex animo introspicente perversitatem cordis humani provenientia, non preces proprie sic dictæ, quasi Deum supplices invocemus, velit omne peccatum in nobis delere, certoque exauditionem promittamus, & quum preces nostras non habeat ratas in magno mœrore constituti simus. Sed sufficit nobis cultui DEI & amoris proximi serio vacare totalem peccatorum deletionem in statu vitæ futuræ expectantes v. Magn.

Dn. D. Hannekenius in Disput. de gradibus sanctitatis viatoris Christiani c. 3. d. 9. & Dannhauerus in Lacte Catech. über die VII. Bitte. Paulum vindicans, quando exclamat: O me miserum, quis me liberabit à corpore hujus mortis.

QUÆSTIO II.

An deletio peccati tantum habet fructum, ac si nullum unquam fuisset. Resp. Affirm. Prob. Jer. 30. v. 20. Et in illis diebus transgressiones Israelitarum quærentur, inquit Dominus, sed nulla aderit, & peccatum Judæ, sed nullum invenietur. Tres rationes adduxit Wilhelmus Amesius sententiæ affirmativæ in lectionibus in Psalmos David: Amstel. excusis 1635. p. 522. quæ apud ipsum videri possunt. Nos ita concludimus: Quic. satisfecit tum pro peccatis tum pro peccatorum pœnis, ille peccata ita delevit, ac si nullum unquam fuisset. Atqui Christus tum pro peccatis, tum pro peccatorum pœnis satisfecit. E. peccatum ita delevit, ac si nullum unquam fuisset. Minor. prob. in sect. did. de deletionem meritoria. d. 5. 6. 7. 8. sq.

QUÆSTIO III.

An peccata ita delentur, ut in iudicio extremo nulla fiat ipsorum mentio? Resp. affirmando Ita Dominus enim promisit, remittam ipsis transgressiones & peccata eorum *nunquam in memoriam revocabo* Jer. 30. 34. it. Quæcunque peccata per satisfactionem sanguine Christi deleta, per justificationem tecta Ps. 32 v. 2. Rom. IV. v. 5. in morte & in cinerificatione abolita Rom. 6. ita ut seminatum in ignominia surrexerit in gloria I. Cor. 15. 43. ea in iudicio extremo non manifestantur. Atqui peccata electorum per satisfactionem Christi delentur. E. peccata electorum non in iudicio extremo manifestantur. Minor probatur hinc & inde in sect. didactica. Loca Eccles. 12. 14. Luc. 8. v. 17. non collective, sed distributive sunt accipienda. Augustinus medit. 4. inquit: Ecce coram tot millibus populorum mutabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum simulque locutionum, uti citatur ab adversariis, nequaquam nostræ sententiæ contrarius fuit. Nam & nos istas meditationes, quibus animo subjicitur, quomodo de omnibus cogitationibus dictis & factis ratio sit reddenda, ut horrore constricti, multa peccata voluntaria intermittamus, nequaquam improbamus, potius omnibus Christianis commendandas esse ducimus. Sed potest cuidam in mentem venire, qua ratione in iudicio extremo omnia sua peccata possint
eve-

revelari, ut eo magis à peccatis abhorreat, ita ut non statuat delicta electorum in iudicio fore ut publice exponantur. Ita Dominus D. Geierus in *Zeit- und Ewigkeit* P. II. pag. 338. *Erinnere dich/ was alsdenn für ein Proceß werde angestellet werden/ wenn der grosse Richter in den Wolcken erscheinen wird/ welcher nicht nur über bloßen groben Verbrechen wird verfahren/ derowegen es in den Weltlichen Gerichten an den Hals gehet/ als da sind Ehebruch/ Mord/ Diebstahl/ Meineyd/ sondern dieser HERR wird ans Licht bringen/ was im Herzen verborgen ist/ und den Rath der Herzen offenbahren.* Et tamen revelationem peccatorum ad solos damnatos restringit P. I. *Zeit- und Ewigkeit* p. 227. *Schämēt man sich hier/ wenn nur ein einzig Stücklein an den Tag kommt/ das man gerne verdußelt gehalten hätte/ was wird alsdenn wohl für eine Schande am letzten Gericht ereignen/ wenn alle böse Händel werden vor der Welt bloß und entdeckt darliegen.* Et ne quis de electis ea accipiat subiungit. *Und eben die Schande/ die einmahl die Verdambten fühlen/ wird nicht allmählig wieder verschwinden/ wie allhier manches leichtsinnige Gemüth die erste Röthe bald vertreibet/ die Schmach verbeisset/ oder da im kurzen alles mit Gras überwächst/ sondern wie der Verdambte in seinem Gewissen und an seiner Seele sich befinden wird bey dem letzten Urtheil/ in solchen immerwehrenden Schrecken/ Scham/ und Zittern wird er auch verharren ohn alles Aufhören.* *Dicis, sed ita impii confirmantur.* Resp. verbis B. Lutheri, quæ Sleidanus recenset in com. de statu religionis l. 3. ad an. 1521. *Quod de scandalo mihi objicitur, id neque possum neque certe debeo præstare.* *Differunt enim charitatis & fidei scandala, quorum illud in moribus & vita consistit & omnino vitandum est: alterum autem inhæret verbo DEI, nec ulla debet ejus haberi ratio.* *Veritas enim & æterni patris voluntas atque mandatum dissimulari non debent, etiamsi totus terrarum orbis offendatur.* *Christum ipsum Scriptura vocat Petram scandali, & hoc ad omnes qui Evangelium docent, pertinet.*

FINIS.


W.A.

05 A 741

ULB Halle 3
003 766 896





Farbkarte #13

B.I.G.

IONEM TORUM

n. Ll. v.1.

ESIDIO

*me Reverendi, Am-
Excellentissimi,*

MINI

LOESCHERI,

Doctoris & Profess. P.

oris ad D. Mariæ Pastoris,
uperintendentis Generalis,
l. h. t. Decani,

*Promotoris studio-
nerandi,*

xponet

Anno M DC XCVI.

US BÜTTNERUS,

ariscus.

ERGÆ,

LOEDTERI, ACAD. TYP.

